

plex excludēs de se, & ex natura sua partes essentiales, nego; partes integrales, concedo; vel est simplex excludens pluralitatem specierum, concedo; quia per vnam speciem vniuersalem potest plura & plura intelligere, excludit pluralitatem partium spiritualium, est falsum.

36 Obijcies 4. mirum est, quod Angeli, & anima rationalis non sint ita compositi, si tale compositum possibile est; at hoc primum est falsum; ergo & secundum.

Respondeo non esse mirum hoc, quia diuersitas rerum est major Vniuersi pulchritudo; Angeli namque arguunt suam simplicitatem naturae ex operationibus grauislimis, sicut etiam anima, & postea non totum quod fieri potest factum est; quis dicet Deum non posse formare Mundum perfectiorem isto presente? & tamen non fecit, & solus ipse fecit an illum faciet vel non; ita de composite physico spirituali, si factum non est, non propterea implicat, vt fieri non possit; atque adeo eorum consequentia evanescit.

37 Obijcies 5. tale compositum esset corpus & non esset corpus, esset spirituale & non spirituale; at hoc implicat, & inuoluit contradictionem; ergo & tale compositum impossibilitate dicit, probatur major, quia vel vna ex illis partibus esset materia physica, vel metaphysica; si erit materia physica, & forma physica, quamvis spiritualis, corpus erit; at corpus, vt corpus, spiritualitatem expellit; ergo erit corpus & non erit, vt supponitur, erit quia habet materiam physicam, quod idem dicendum est de spiritualitate.

Respondeo, nego maiorem propositionem, quia esset sine quantitate superaddita, cuius proprium est reddere rem corporalem & diuisibilem, atque externam in ordine ad se. vnde esset illud totum aliquod spirituale, & vnde illa materia, & forma, physica entites essent, sed non reduplicatiue, quod vult dicere entitatem corpoream, & quantam; anima rationalis [vt dicam suo loco] est vera forma physica, sed non physice, ob rationes ibi adducendas, & sic nego consequentiam.

Quæres; an sicut de facto datur compositū humanū ex parte perfectibili spirituali, & materia non spirituali, ita compositum aliquod dari possit, quod constaret ex materia spirituali & forma non spirituali.

Respondeo affirmatiue cum probabilitate, etenim non est maior ratio, quare forma spiritualis vnitri possit cum materia non